Quaestio theologica.

Numéro d'inventaire : 1980.00014.40
Auteur(s) : François Burke
Type de document : affiche
Éditeur : non renseigné (Paris)
Période de création : 3e quart 18e siècle
Date de création : 1753
Description : Une feuille de papier vergé filigrané. Les bords sont froissés et déchirés. Deux réparations au moyen de ruban adhésif sur les bords supérieur et inférieur. Papier mince et taché. Estampe de petit format (burin).
Mesures : hauteur : 530 mm ; largeur : 380 mm
Notes : Afiche annonçant la question de théologie que doit soutenir, "pro sorbonica" (il s'agit de la troisième des trois thèses à présenter pour la licence, et qui donne lieu à une soutenance solennelle), François Burke, en août 1753. La question abordée, extraite des Psaumes, est: "Qui se tiendra à mes côtés face à ceux qui commettent l'injustice ?". Les thèses traitent de l'incarnation et de la grâce, et d el'organisation des conduites morales. L'estampe représente la Vierge au ciel, tenant l'enfant Jésus.
Mots-clés : Affiches de thèses et d'exercices publics
Filière : Université
Niveau : Supérieur
Autres descriptions : Langue : Français
Nombre de pages : 1
ill.

VIRGINI DEI-PARÆ.

QUÆSTIO THEOLOGICA.

Quis ſtabit mecum adversùs operantes iniquitatem ? Pſal. 92. ℣. 16.

DEUS è cujus manibus prodit Adam minor Angelis effectus noſtræ ac ſuæ ſortis arbiter, juſtus ſinè miſeriis, ſine ignorantiâ & concupiſcentiâ immortalis, ex libero Creatoris beneficio creatur Intuitivæ Dei viſioni deſtinatur. In puris naturalibus condi potuit illæſis Dei attributis non refragantibus Sanctis Aug. & Thomâ. Poſt primum amoris actum ad benè agendum & in bono perſeverandum ſatis ipſi fuit præter gratiam habitualem ſola mentis illuſtratio, *auxilium ſine quo Auguſtinianum* : indè primarium & ſpecificum gratiæ naturæ innocentis & lapſæ diſcrimen. Juſto præcepto inobediens miſerè labitur Adam. Hinc dotes & privilegia primæ conditionis ſibi perdidit & poſteris. Indè diffuſa in orbem miſeriarum cohors & filii iræ naſcuntur omnes ejus poſteri. Ità Tertullianus, Origenes, Sancti Clemens Alexandrinus, Athanaſius, Baſilius, Optatus, Gregorius Nyſſenus, & Chryſoſtomus. Singulari privilegio illæſa manet Beata Virgo Maria ſine labe concepta, ſola quæ originalis noxæ vulnus quoàd actum non ſenſit. Primigeniæ labis natura non mala ſubſtantia quædam, non integra naturæ humanæ corruptio, non morbida qualitas, aut etiàm ſola juſtitiæ originalis privatio : benè verò Adami peccatum non tantùm extrinſecè ſed & intrinſecè ſingulis hominibus in eo moraliter contentis imputatum & inhærens. Peccati hujus unicuique proprii ſimùl & omnibus communis naturam, hæreticè Lutherus, erroneè Baius, minùs accuratè Catharinus & Pighius, ingenioſè ſed non ſatis tutò Malebranchius exponunt. Hujuſcè peccati effectus & pœna pro hîc vitâ privatio juſtitiæ originalis in animâ, in intellectu ignorantia, in voluntate cupiditas, in corpore miſeriæ : pro alterâ [niſi Deus ſuccurrat] pœna damni & ſenſûs cui ſubjacent filii etiàm fidelium ſine Baptiſmo decedentes.

VENIT ſanaturus ægrotos ſummè miſericors Dei filius, & homini lapſo ſimilem abſquè peccato naturam aſſumens ſuccurrit. Myſterium hoc prorsùs ineffabile rationi impervium non adverſum : hinc ad methodum Socinianam minimè exigendum. Reparandæ hominum ſaluti maximè accommodata Verbi Divini Incarnatio Deo digniſſima, nulla ex parte abſolutè neceſſaria, citrà peccatum Adami non futura, ex ſola hypotheſi condignæ & accuratæ ſatisfactionis neceſſaria. Hanc peractam demonſtrant gentilibus Chriſti miracula & Reſurrectio, ſtupenda Chriſtianiſmi propagatio, præteritus & hodiernus Judæorum ſtatus, uno verbo omnia credibilitatis motiva. Judæis inſuper Meſſiæ adventum luculenter demonſtrant domeſticum ſincerumque Joſephi teſtimonium, Jacobi morientis, Danielis, Aggæi & Malachiæ vaticinia. In Jacobi oraculo per *Judam* Tribum cognominem intellige, per *Sceptrum* ſupremam authoritatem abſtractâ regiminis formâ. Sceptrum in Davide ſuſcepit Tribus Juda : captivitatis Babylonicæ tempore intermittitur, ipsâ ſolutâ redintegratur. Sub Herode verè alienigenâ primùm nutat ; in ultimo urbis excidio ſub Tito penitùs deficit. Septuagenta Danielis Hebdomades ſeptem annorum ſolarium ſingulæ ſerie continuâ computandæ. Fluunt ab egreſſu ſermonis ut *iterùm ædificetur Jeruſalem*. Hunc fecit anno vigeſimo regni ſui Rex Perſarum Artaxerxes Longimanus anno antè æram vulgarem 454. Hinc triennio poſt Chriſti mortem deſinunt. Ruunt ergò Marshami, Harduini, & Calmeti ſyſthemata, procùl pariter Huetii Uſſerii, Arcoli, Turneminii & annorum ſabbaticorum Hypotheſes. Anno antè æram vulgarem quinto exeunte Bethlemi ex Virgine naſcitur Meſſias anno æræ vulgaris 30. die ſextâ Januarii baptiſatur. Anno 33. cruci affixus conſummatis quæcumque ſive vitam ſive mortem Meſſiæ ſpectant vaticiniis ſpiritum emittit.

CHRISTUS verè Deus & homo. Unio hypoſtatica naturæ divinæ & humanæ in unicâ verbi perſonâ genuina Incarnationis notio. Hinc communicatio idiomatum in concreto non in abſtracto. Explodenda ubiquitas. In Chriſto Deo ſimul & homine unica perſona. Duplicem audet aſſerere Neſtorius qui legitimè & canonicè propterea deponitur. Amicum tuetur Joannes Antiochenus non errorem. Naturas confundit Eutyches. Duplicem agnoſcit Sanctus Cyrillus. Unam tenent voluntatem Monothelitæ : non conſentit ſed incautè favet Honorius, & ideò damnatus à ſextâ Synodo cujus acta incorrupta. Chriſtus futurorum & ipſius diei Judicii præſcius viſione Dei intuitivâ ab ipſo ejus Conceptione donatus, beatus & paſſibilis, impeccabilis & liber, mediator Dei & hominum, Sacerdos ſimul & victima toti Trinitati ſuperabundantem impendit ſatiſfactionem. Hinc ſibi nobiſque multa promeruit, & ſuæ ſatiſfactionis eximios fructus ad omnes vult extendi ſed non æqualiter. Verum ex Virgine Mariâ *Dei-parâ* corpus non phantaſticum verum & animam habuit Chriſtus filius Dei naturalis non adoptivus ut hæreticè Fœlix & Elipandus ſtatuerunt. Hinc Chriſto etiàm ut homini debetur latriæ cultus, Virgini *Dei-paræ* cultus hyperduliæ exhibendus. Cruci, imaginibus & reliquiis relativus impendatur honor. Hinc abſque Chriſti injuriâ coli poſſunt Sancti in cœlo regnantes, pro nobis enim intercedunt apud Deum, hinc invocandi. Eorum ergò interceſſionem & invocationem immeritò rejiciunt Proteſtantes. Cultum Sanctis impenſum non relativum ſed abſolutum damnant Sanctus Gregorius Magnus, Concilium Francofordienſe, Conventus Pariſienſis & libri Carolini.

FRUCTUS Incarnationis nobilior gratia Salvatoris, donum ſupernaturale creaturæ rationali conceſſum in ordine ad vitam æternam. Alia eſt intellectus alia voluntatis ; utramque imprimis conſtanter negat Pelagius inſignis gratiæ hoſtis. Deindè preſſi Pelagiani gratiam intellectus & etiam ultimò gratiam voluntatis ſed multiplici vitio adulteratam admittunt. Primum à Patribus Carthaginenſibus in variis Synodis, & à pluribus Summis Pontificibus præſertim à Zozimo in Synodo Romanâ tertiâ damnantur. His apoſtolicæ ſedis formulario ſubſcribere juſſum eſt : renuunt octodecem Epiſcopi & provocant ad Concilium generale. Appellatio ſpernitur & pœnâ depoſitionis & expulſionis mulctati, ut obluctantes definitive & abſque Concilio generali rejiciuntur. Errores emolliunt Maſſilienſes in eo ſemper hæretici quod gratiæ interioris neceſſitatem ad initium fidei nuſquàm agnoverint. Utroſque gratiæ hoſtes fortiter debellat Sanctus Auguſtinus, qui dùm neceſſitatem & gratuitatem gratiæ contrà eos nomine Eccleſiæ vindicat ; auxilium efficax non rarò attingit & inſinuat, nuſquam verò gratiam relative victricem defendit. Errori Pelagianorum qui omnia libero arbitrio tribuit è diametro oppoſitus Prædeſtinatianiſmus ſub finem quinti ſæculi à Lucido quodam Presbytero adinventus, hunc errorem atterunt Concilia Arelatenſe & Lugdunenſe nec ficta nec ſemipelagiana. Hanc hæreſim diù ſopitam nono ſæculo renovat Goteſcalcus. Illam proſcribunt Concilia Moguntinum & Cariſiacum. Errori non favent Sanctus Prudentius, Canones Valentini, & libri nomine Eccleſiæ Lugdunenſis immeritò appellati. In Wiclefo, Luthero & Calvino hanc hæreſim redivivam interimunt Concilia Conſtantienſe & Tridentinum. A Baio iterùm ex parte ſuſcitatam novo fulmine ſternunt ſummi Pontifices Pius 5. Greg. 13. & Urbanus 8. cujus Bulla *in Eminenti* minimè ſubreptitia facta eſt quoàd doctrinam univerſalis Eccleſiæ judicium irreformabile. Commatis tranſpoſitio figmentum. Legitimus eſt & prudens modus damnandi propoſitiones *in Globo* quæ neceſſario falſæ ſunt in ſenſu obvio & naturali.

MAXIMA S. Aug. authoritas & mirabilis doctrina circà gratiam : hanc corrumpit Janſenius & novum ex erroribus in Baio proſcriptis condit ſiſtema cujus fundamentale principium duplex delectatio relativâ neceſſitate victrix à qua ſponte fluunt quinque famoſæ propoſitiones ex libro Janſenii cui titulus *Auguſtinus* excerptæ. Illæſis Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus Romam deferuntur, & maturo diſcuſſas examine in ſenſu obvio & naturali qui eſt ipſemet authoris ſenſus, eas damnat Inn. X. conſtitutione dogmaticâ cujus authoritati firmatæ Eccleſiæ conſenſu non licet refragari, damnationem magiſtri eludere conantur diſcipuli, & dùm gloriantur de diſtinctione juris à facto, occurrit Alexander *ſeptimus* lege formularii cujus ſubſcriptionem in ſignum debiti mentis aſſenſus legitimè imperat. Non ſine rebelione recuſari nec reſtringi poteſt ſine perjurio. Injurioſum foret veritati *Silentium religioſum* : fruſtrà opponerentur commentitia quinque articulorum approbatio, Brevia Inn. XII. inanis Clementinæ Pacis prætextus, omne ſaltem præcludit effugium Bulla Clementis XI. *Vineam Domini Sabaoth* quæ meritò ubi acceſſit Eccleſiæ conſenſus habetur ut irreformabile Eccleſiæ judicium. Queſnelli liber errores jàm proſcriptos ſub velamine pietatis ex integro renovans irrefragabiliter damnatur. Hinc tot tela tot fulmina à ſede Apoſtolicâ vibrata non refragante Epiſcoporum corpore invictè demonſtrant Janſeniſmum non eſſe merum phantaſma ſed hæreſim nimiùm realem multoties profligatam, quæ à Calviniſmo non ſatis aliena à Thomiſtico ſyſtemate toto cœlo diſcrepat. Gratia alia eſt habitualis alia actualis. Hæc non omnipotens Dei voluntas, non mera mentis illuſtratio, nec deliberata actio ſed aliquid prævium quod in illuſtratione intellectûs ſimul & in motione voluntatis conſiſtit, nullâ lege meritis naturalibus rependitur.

TANTÆ neceſſitatis eſt vera Chriſti gratia ut ſine ea ad quodcumque opus ſupernaturale homo phyſicè ſit impotens : licet facilia quædam bona opera in ordine morali perficere poſſit. Mirabiliter in nobis per ſuam gratiam operatur Deus, quandoquè indeliberatè movet voluntatem, & gratia excitans dicitur. Quandoquè motionis influxus nobiſcum perſeverans operatur actum & gratia adjuvans nuncupatur. Ex variis gratiæ diviſionibus celebrior illa in ſufficientem & efficacem. Gratia ſufficiens ſenſu Catholico intellecta confert potentiam relativam & expeditam ad agendum ; omnibus omnino offertur. Juſtis urgente præcepto ſaltem mediatè concedi fidei dogma adversùs primam Janſenii propoſitionem ſancitum. Dari gratiam efficacem omnes concedunt. Suam efficaciam à delectatione relativè victrici non mutuatur ità jàm rectè definitum. Undenam ergò ! An à præmotione Phyſicâ, an à delectatione abſolutâ, an à congruitate ſive extrinſecâ ſive intrinſecâ, an vero ab aggregatione plurium auxiliorum planè incertum. Hæ omnes ſententiæ Orthodoxæ ſunt. Admittunt enim gratiam eſſe abſolutè neceſſariam ad quælibet pietatis opera, eam eſſe plenè gratuitam & ſtare cum libero voluntatis arbitrio quæ tria unicè dogma Catholicum circà gratiam componunt hinc quantum ad modum explicandi efficaciam gratiæ eas omnes tolerat nec improbat Eccleſia, ac proindè ex iis ſunt opinionibus *in quibus ſalva fide quâ chriſtiani ſumus ab invicem diſſentire licet*. At ſi conjecturis probabilioribus indulgere licet, congruitas intrinſeca per quam gratia redditur formaliter efficax, & quæ ſe tenet ex parte omnipotentiæ divinæ ſeù ex ipsâ ratione & virtute ipſi gratiæ intrinſecâ cæteris videtur anteponenda. Ad omnes & ſingulos pietatis actus præſertim faciles, neceſſaria non eſt gratia per ſe & ex naturâ ſuâ efficax licet ad difficiliores requiratur. Auxiliorum efficacium ad mortem uſquè ſeries (*Auxilium quo Auguſtinianum*) ſolis deſtinatur Prædeſtinatis.

HABITUALI gratiâ animam intus renovante juſtificamur. Augmentum capit. In reprobo ad tempus adeſſe à juſto poteſt amitti. Nemo de eâ niſi revelationi particulari innixus certò poteſt gloriari. Cum eâ & per gratiam actualem homo gratiæ augmentum & vitam æternam mereri poteſt de condigno. In primâ juſtificatione infuſas accipit homo fidem ſpem & charitatem, quæ tres ſunt & quidem ſolæ virtutes Theologicæ habitu & actu diverſæ, ità ſeparabiles ut ſine ſpe & charitate ſtet fides, ſine charitate ſpes & fides non ſine illis charitas. Fides prima virtus ſupernaturalis non prima gratia, ad ſalutem requiritur non ſufficit. Non idem cum fiduciâ ad ſenſum Novatorum : per ſe ad juſtificationem diſponit, non tamen juſtificat ſola. Ipſius objectum omne revelatum tametſi aliquandò evidens. Motivum divina veracitas falli & fallere neſcia. Hinc eſſentialiter vera proponit fides. Regula movens Scriptura & Traditio divinæ paris authoritatis. Authoritas regulam hanc proponens ſola Chriſti Eccleſia. Lethali cum peccato ſtare poteſt. Infidelitate ſeù hæreſi extinguitur. Infidelitas ſi poſitiva peccatum : ſi negativa excuſatur : hinc omnia infidelium opera minimè ſunt peccata. Fidem firmat ſpes, cujus motivum bonitas Dei relativa. Objectum bona nobis à Deo promiſſa in ordine ad vitam æternam. In ſe & in ſubjecto bona eſt. Fundamentum mors Chriſti pro omnibus. Præſumptione aut diffidentiâ tollitur. Omnium virtutum præſtantior charitas quæ omni & ſolo peccato lethali extinguitur. Hujus motivum bonitas Dei abſoluta, ex hâc frequenter eliciantur actus, ut omnes ex eâ eliciantur nullum jubet præceptum. Ipſam inter & vitioſam cupiditatem datur medium. Amoris Dei abſquè explicitâ ad bonum noſtrum relatione poſſibilis actus. Minimè vero habitus nequè in eo conſiſtit perfectio chriſtiana. Hinc omnino explodendum Quietiſtarum ſyſtema.

ACTUUM humanorum principia externa bonum, finis, beatitudo. Solo bono reali vel apparenti adhærere poteſt voluntas, quæ deliberatè agens ſemper intendit aliquem finem. Finis ultimus ſolus eſſe poteſt Deus beatitudinis noſtræ objectum : non verò opes aut honores vel ſtoïcus virtutis propter ſeipſam amor. Formalis beatitudo gaudium ex Deo intuitive viſo & delecto enaſcens. Actuum humanorum interna principia intellectus & voluntas. Hæc quoàd actus elicitos coactionis neſcia. Boni generatim neceſſario amans. Majoris tamen relativè boni notitiâ non neceſſario rapitur. Ex objecto fine & circumſtantiis deſumitur actuum humanorum bonitas vel malitia : illa in conformitate cum regulis morum, hæc in merâ privatione rectitudinis debitæ conſiſtit. Utriuſque fundamentum libertas in præſenti etiàm ſtatu neceſſariò admittenda. Hanc perimunt Manichæorum ineluctabile fatum, Lutheranorum & Calviniſtarum inſuperabilis ſervitus nec-non Janſenii ſimplicis & relativæ neceſſitatis vinculum. Hanc ſola conſtituit activa contradictionis indifferentia. Actus alii ſunt voluntarii alii liberi : hinc voluntarium & liberum ſecerne. Metus & concupiſcentia ſæpius augent voluntarium liberum verò imminuunt & penitùs quandoquè tollunt ſi nempè uſum rationis adimant. Liberum prorsùs adimitur ignorantiâ invincibili à peccato proindè excuſans ità PP. Dioſpol. SS. Aug. & Hyer. motus concupiſcentiæ indeliberati excuſabiles. Omnis actus humanus bonus eſt vel malus ; nullus in individuo indifferens.

ACTUUM humanorum regula, lex & conſcientia. Contrà hanc agere nefas. Si erronea corrigatur, ſi ſcrupuloſa excutiatur, ſi larga reſtringatur, ſi dubia deponatur. Interim ab actu abſtineatur. Premit agendi neceſſitas tutior pars aſſumatur. Tutior ignoratur, probabilior in concurſu minùs probabilis eligatur : tutiori autem cognitæ multò probabiliorem præferre tibi non recuſatur. Lex alia naturalis, alia poſitiva. Illa immutabilis Epikeiæ & diſpenſationis neſcia quoàd prima principia omnibus cognitu facilis. In remotioribus concluſionibus ignorari poteſt invincibiliter. Lex poſitiva ut obliget promulganda. Divina eſt vel humana, illa vetus & nova, utraque bona, nova perfectior, ſub utraque timor & amor. Facilis & frequens magis amor in novo fœdere. Lex vetus moriente Chriſto mortua : promulgato ſufficienter Evangelio mortifera. Legalia ſine ſimulatione obſervarunt Apoſtoli. Petrum verè reprehendit Paulus. Poſt Chriſtum obtinet lex Evangelica quæ omnium eſt & perpetuò duratura. Lex humana ea quæ ad ſocietatis bonum conducunt, præſcribit & prout religioſa eſt aut politica, lex eſt aut Eccleſiaſtica aut civilis, utraque ſub peccato obligans, utraque à ſe invicem in ordine ſuo jure divino independens. Libera legis tranſgreſſio peccatum, aliud mortale, aliud veniale, nullum Philoſophicum. Hinc repugnat omiſſio pura & libera. Utrumque pœnis plectitur temporalibus veniale, æternis mortale quoàd culpam non remiſſum. Omnia venialia etiàm in infinitum repetita non adæquant unum mortale. Nullum eſt veniale à quo non poſſit abſtinere homo. Omnia vitaſſe ſingulare eſt privilegium B. M. V. conceſſum à Deo *qui ſtabit mecum adversùs operantis iniquitatem.*

Has Theſes, Deo duce, & auſpice Dei-parâ, tueri conabitur FRANCISCUS BURKE, *Presbyter Clonfertenſis, ſacra Facultatis Pariſienſis Baccalaureus Theologus, die Veneris tertiâ menſis Auguſti, anno Domini* 1753. *à ſextâ matutinâ ad ſextam veſpertinam.*

IN SORBONA.

PRO SORBONICA.